

formam testamenti factum fuisset, illius ascendentes tunc ad annua scut. 36, vix hodie ascenderunt ad medietatem attenta notoria diminutione fructuum, censuum aliorumque stabilium.

(106. Verum audito desuper episcopo comprobante narratorum veritatem excitata fuit difficultas: An onus investmenti tanquam adjectum executioni legati dicatur stare demonstrative, vel taxative, ita ut investmentum modo faciendum sit ab hæredibus perpetuo manutenendum pro integra satisfactione summæ legatæ? Cumque placuerit EE. VV. demandare, ut instantia prædicta describeretur in folio; hinc in præsentem congregationem informantibus prædictis hæredibus exquiritur:

« 1. An, et in qua quantitate præfatum investmentum sit faciendum? »

« 2. An post factum investmentum, ac superveniente aliqua diminutione tam in capitali quam in fructibus, hæredes teneantur cum bonis hæreditariis perpetuo supplere summam deficientem? »

« Die 4 Maii 1697, S. C. EE. S. R. E. cardinalium concilii Tridentini interpretum censuit, ad primum faciendum esse investmentum in quantitate æquivalenti ad integrum onus. »

« Ad secundum respondit, *Affirmative.* »

(107. « Faventina Legatorum, in assignatione bonorum facta per Constantiam Sevaram de anno 1637, ad effectum fundandi in terra Mutilianæ, vel Beneficium ecclesiasticum, vel monasterium monialium, tria onera fundatrix imposuit. Primum annuæ præstationis libr. 100 olei pro manutenzione lampadis ante sacras reliquias in ecclesia PP. Capuccinorum dictæ terræ; secundum libr. 25 ceræ albæ pro usu ejusdem ecclesiæ; et tertium denique unius ferculi valoris solidorum 20, ipsis PP. Capuccinis per singulas hebdomadas subministrandi. »

« Secuta de anno 1686 monasterii fundatione, recusarunt moniales subministrare dictas præstationes sub prætextu omnimodæ incapacitatis Fratrum Capuccinorum; quare ad instantiam Alexandri Bonconi, tanquam unius de populo, citatis et informantibus quoque monialibus, declarari humiliter supplicatur. »

« 1. An monasterium teneatur subministrare singulis annis dictas libras 100 olei, et 25 albæ ceræ pro usu ecclesiæ Capuccinorum. »

« 2. An similiter teneatur præstare singulis hebdomadis supradictum ferculum fol. 20, pro ipsis Capuccinis. »

(108. « Die 12 Mart. 1697, S. C. EE. S. R. E. cardinalium conc. Trident. interpretum ad primum respondit *Affirmative.* »

« Ad 2 censuit servanda esse decreta congregationis Fabricæ. Die 4. Feb. 1633. »

(109. « Quæ procedunt etiamsi assignatio bonorum fieret in contractu inter vivos, uti habemus casum decisum per S. C. Fabricæ in Imolens. Legati seu Donationis sub die 16 Martii 1727, ubi fuit dictum favore RR. PP. Observantium Imolæ ad exclusionem

tribunalis Rev. Fabricæ non intrare illius privilegia, super qua controversia, quia elaboratissimæ fuerunt distributæ allegationes doctissimorum causæ patronorum et advocatorum, merito pariter illas subnectere existimavi ad ostendendum quod in hujusmodi controversiis omnia necessaria motiva hinc inde fuerunt perpensa, audito commissario, et fiscali ejusdem sac. tribunalis, et decisum non intrare privilegia Fabricæ, attenta capacitate religiosorum in recipiendis hujusmodi legatis ex capite eleemosynæ; adversus quam resolutionem, cum denuo fuerit provocatum ad idem tribunal, hoc, perpensis denuo partium rationibus, sub die 20 Julii ejusdem anni eandem resolutionem confirmavit cum rescripto in decisum. Sic de Lucia in Dissertatione de Legatis, n. 402. »

« (110. Insuper dictam Fratrum minorum capacitatem expresse demonstrant variæ resolutiones sacre congregationis Fabricæ, quarum prima fuit illa emanata die 28 Maii 1639 cum epistolis directis episcopo S. Angeli in Vado hujus lecturæ: « Ha avuto ricorso a questa S. C. della Fabrica il procuratore generale de' Minori Osservanti esponendo che di un legato pio appartenente a' detti Frati di S. Angelo in Vado V. S. intenda erigere un canonicato sotto pretesto della loro incapacità; Questa medesima congregazione anche con partecipazione di N. S. fece decreto (quod est illud anni 1633), che questi PP. potessero ricevere per modum eleemosynæ gli annui legati pii, e che non si estinguessero, e riservandosi la disposizione a N. S. conforme all'ingionto decreto. »

« Roma 28 Maggio 1638. »

(111. Et quamvis episcopus in sua informatione quam plurima deduxisset ad ostendam incapacitatem Fratrum, denuo S. C. rescripsit: « Sendo stata letta in questa sacra congregazione la risposta data da V. S. in materia dell'applicazione da lei fatta ad un Canonicato delli scudi 809, lasciati da Carlo Gualferucci alli Frati della Osservanza con peso di messe, non son parse a questi eminentissimi signori sufficienti le ragioni addotte per sostenere detta applicazione, quale come che è fondata tutta nella incapacità de Frati, così non sussistendo tale incapacità, almeno ad effetto di poter ricevere per via di limosina, conforme al decreto fatto da questa S. congreg., dovrà V. S. sospendere, nè in essa procedere più oltre in pregiudizio dei Frati. »

« Roma 30 Agosto 1639. »

Secunda sub die 31 Decembris 1639, directa episcopo Anconitano, ita: « Questa S. C. altre volte dichiarò detti Frati capaci per modum eleemosynæ, però proveredete che il legato si eseguisca, nè sotto il detto pretesto della loro incapacità gli eredi ritardino il pagamento. »

(112. Tertia sub die 17 Martii 1640, lata ad favorem PP. Minorum de Magliano; in qua agebatur de legato scut. 1500, cum obligatione injuncta hæredi de reinvestiende dictam summam, et solvendo fructus annuos

PP. erogandos ab istis in perpetuum pro celebratione duarum missarum, et pro emenda sacra suppellectili altaris, et applicatio R. Fabricæ per commissarium illius, et demandans talis applicationis revocationem ita: « E perchè detti PP. Osservanti erodono che detta sentenza non possa sussistere, e per avere questa sacra congregazione dichiarato nel 1633, che essi sono capaci di simili legati per modum eleemosynæ, etc., e parendogli la domanda ragionevole, ne danno la facoltà di poter rivedere, conoscere e terminare detta causa per giustizia con facoltà di reintegrare dd. Osservanti. » Prout de facto commissarius eosdem PP. ad legatum reintegravit.

Demum adsunt consimiles declarationes emanatæ sub diebus 28 Julii 1640, 20 Decembris ejusdem anni, 5 Octobris, et 2 Novembris 1641 et aliæ, quas breviter causa omittendas censui, quæ omnes declarant capacitatem cum tali modificatione per viam eleemosynæ, et registratæ inveniuntur in eadem discept. Piton. n. 138, 139, 140, 141 et 142.

(113. Hujusmodi capacitas censetur admissa per Summos Pontifices: cum enim de anno 1641, commissarius Fabricæ applicaverit quemdam censum mille florenorum in sorte, et scut. 80 in fructu erogandorum in emptione tunicarum et habituum pro dictis PP. juxta donationem istis factam a Gaspare de Bartholomæo, comparuerunt coram Sa. Mem. Urbano VIII iidem PP. Minores, et ita eorum intentum exposuerunt: « Supplicat, etc., quatenus dignaretur declarare Fratres esse capaces dictæ donationis, et a ministris Fabricæ non posse molestari, quin per modum eleemosynæ possint dari et recipi fructus census, » etc., et emanavit præfata signatio. Die 12 Novembris 1641, S. S. D. N. « audita relatione S. S. facta de ordine eminentissimi cardinalis Barberini protectoris benigne annui petitioni supradictæ: » et in illius executione S. C. Fabricæ ita signatæ petitionis demandavit effectum; « Questi eminentissimi miei signori della sacra congregazione della Fabrica vi ordinano, che lasciate liberamente pagare, e ricevere detti frutti alli medesimi Frati donati per modo di limosina conforme la grazia fattagliene da N. S., revocando li sequenti, ed ogni altro impedimento di questo tribunale e suoi ministri. »

« Roma 21 Dicembre 1611. » Piton. l. c., n. 144.

(114. Et indistincte pro legatis pro vietu et vestitu semper resolvit sacra congregatio Boni Regiminis, et signanter sub die 12 Augusti 1651, ibi: « Ficulle. Podestà. Comanda la S. C. mentre sia vero, che nell' ingresso de' PP. Cappuccini in cotesto luogo dal pubblico consiglio fossero per loro sustentamento assignati per limosina scudi 50 l'anno, gli si continui conforme al solito tale sussidio caritativo, onde Voi le concederete la facoltà opportuna, oprando, che in tal conformità segua l' effetto. »

(115. Ac sub die 29 Aprilis 1678. « Campa-

gna. Governatore. La sacra congreg. senza attendere la risoluzione presa dal pubblico consiglio della comunità di Anagni avendo ordinato, che si continui a somministrare il solito sussidio di 40 scudi annui a questi Frati Cappuccini, che con tal'assegnamento furono ricevuti dalla comunità suddetta, così si contenterà di ordinare che segua, e Dio la prosperi. »

(116. Sicuti etiam sub die 10 Maii 1692. Viterbo. Governatore. « E stata sentita anche dalla Sacra Congregazione come necessaria l'istanza fatta dalla comunità di Valentano di potere ammettere li Frati Minori Osservanti di San Francesco nel Convento già soppresso della Madonna della Salute, perchè restino provisti quegli abitanti di chi loro assista opportunamente con gli ajuti spirituali, per il di cui effetto s'è contentata la medesima sacra congregazione, che possa la predetta comunità, in conformità della risoluzione del consiglio, somministrare scudi 500 per una sol volta, da pagarsi in cinque anni colli sopravanzati della tabella in ogni anno la rata, ed altri 50 scudi annui in sussidio caritativo per pietanza e vestiario de' religiosi, che vi dimoreranno da pagarsi venticinque scudi in ogni semestre, onde V. S. ne potrà concedere la necessaria licenza. »

(117. Item hanc Minorum capacitatem obtinendi, et recipiendi legata perpetua per viam puræ ac simplicis eleemosynæ, pluries comprobavit sacra congregatio Episcoporum et Regul. et signanter in Lucens. sub die 21 Martii 1677 pro Minoribus de Observantia hanc dedit declarationem: « Sacra congregatio Episcop. et Regul. sæpius declaravit Fratres Minores de Observantia S. Francisci, quamvis, attenta dispositione, *Exivi de Paradiso*, et constitut. Nicolai III et Clement. V, sint incapaces obtinendi census perpetuos, et bona stabilia, posse tamen per viam puræ ac simplicis eleemosynæ recipere quicquid ab executoribus ultimarum voluntatum eis traditur pro celebratione missarum, pro ornamento ecclesiæ, aliisque necessariis procurandis juxta doctrinam D. Bonav. relatum in Const. Sa. Mem. Urbani VIII incip. *Sacrosanct. Apostolatus ministerium.* »

(118. Item eandem capacitatem pluries approbavit sac. congregatio Concilii, et signanter sub die 12 Junii 1704, in Salernitana Legati Fabritii Pinto in famosa causa vertente inter PP. Theresianos hæredes, et Minores de Observantia, Reformatos, et Capuccinos Legatarios, ubi rescripsit: « Observentur decreta Rev. Fabricæ emanata die 14 Februarii 1633, » hoc est recipient per modum eleemosynæ. Quod et expresse in eadem causa decrevit sac. congregat. Rev. Fabricæ sub die 20 Julii 1707, et 9 Februar. 1708, in quorum decretorum observantiam fuit datum mandatum executivum sub die 28 Junii 1709. Et sub die 12 April. ejusd. anni 1709, fuit lata sententia a R. P. Sinibaldi judice Rev. Fabricæ declarans et statuens dd. PP. Theresianos in executionem præfatorum decretorum teneri, et obligatos



esse solvere annum legatum per viam elemosynæ relictum per dictum Fabritium Pinto dictis Minoribus de Observantia, Reformatis et Capuccinis; et tam dicta sententia quam mandatum, datum a collegio eminentissimorum, et reverendissimorum DD. cardinalium S. C. Rev. Fabricæ S. Petri de Urbe deputatorum, refertur ad litteram a D. Petro Marcellino de Luccia, in sua dissertatione unica De Legatis pro victu religiosorum Mendicantibus relicto, pag. 207, ad pag. 210, num. 522 et 523.

(119. Ex supra recensitis stat clarum quod legata relicta Fratibus Minoribus per modum simplicis elemosynæ sustententur, et quod tales Fratres, licet sint incapaces legatorum transferentium dominium, et possessionem apud ipsos, sunt tamen capaces ipsorum legatorum per modum puræ et simplicis elemosynæ. Et quamvis dicti Fratres non sint capaces petendi legata perpetua per modum actionis judicialiter, sunt tamen capaces ipsas recipiendi per modum elemosynæ ab hærede defuncti, licet iste hæres fuerit coactus ex officio per judicem, vel ad instantiam alienjus de populo, vel syndici apostolici, etiam tanquam unius de populo, qui ut talis potest comparere, et implorare officium ordinarii, ut demandet executionem testamenti, et adimpleatur mens testatoris ut in articulo discusso pronuntiavit Rota in Turritana Eleemosynarum, seu Legatorum 10 Januarii 1595, coram Emerix decano pro syndico Apostolico conventus Sancti Petri de Syrchis Ordinis Minorum de Observantia cum archidiacono Ecclesiæ Turritanæ registrata apud Pitonium part. 1, Disceptationum ecclesiasticarum, disceptat. 2, n. 36, et apud Petrum Marcellinum de Luccia loc. cit., pag. 117, n. 350.

(120. Imo cum, juxta communem doctorum sententiam, hæres teneatur in conscientia adimplere onera, et pias dispositiones testatoris, potest etiam cogi per Syndicum Apostolicum, non tanquam unum de populo, sed nomine Ecclesiæ Romanæ, vigore constitutionum Gregorii XIII, Martini IV et Pauli IV, ut tradunt in puncto Emmanuel Rodriguez qq. Regular., tom. II, quæst. 127, artic. 4, § Ad primum enim; Portell. In dub. Regular. verb. Legatum, n. 8, et melius in addit. n. 2, vers. De modo autem; Hieronymus Rodriq. resol. 88; Pelliz. in manual., tract. 4, sect. 2, n. 111 et seq. tom. II; Ricciul. De Jure personar. extra gremium Eccles., lib. VIII, cap. 9, n. 27; Amostaz. De causis piis, lib. IV, cap. 3, n. 78; Pasqualig. De Sacrificio miss., quæst. 1091, n. 5; Villalob. difficultat. 34, n. 7, et alii; quæ constitutiones Martini et Pauli fuerunt novissime renovatæ per Sa. Mem. Innocentium XI constit. incip. Sollicitudo pastoralis, sub dat. 20 Novembr. 1679, impress. in Histor. Seraphic., tom. IV, fol. 224.

(121. Plurima alia de capacitate Fratrum Minorum recipiendi et retinendi perpetua annua legata per modum puræ et simplicis elemosynæ videnda relinquuntur apud Pi-

tonium cit. part. 1, discept. 2, per tot., et apud D. de Luccia in cit. dissertatione unice de Legatis per tot., ubi ultra adductas multas afferuntur Apostolicæ sanctiones, et sacrarum congregationum responsiones, et declarationes; unde non amplius attendendi veniunt doctores in contrarium scribentes.

(122. Domus professæ Societatis Jesu, licet sint vere Mendicantes, sunt tamen capaces legatorum, etiam bonorum stabilium, ita tamen ut si talia bona non sint necessaria, nec opportuna usui domorum professorum, ea vendi debeant, et ex eorum pretio propriis necessitatibus provideri; Sic Rota in Rom. Legati 10 Martii 1517, cor., Buratto, et communis doctorum; Nihil tamen obstat tempore non longo ea retinere, donec se occasio vendendi offerat, vel opportunitas aptandæ habitationis ad usum domorum professorum. Sanchez lib. VII, Moral., cap. 26, n. 22. Layman lib. III De justitia tractat. 5, cap. 10, n. 6, et alii. Vide quoque hæc Legata p. 6. Constitut. d. Societatis cap. 2, § 5.

(123. Legatum relictum Ecclesiæ, quam testator in specie non expressit, adeo ut ignoretur quam voluerit intelligere, est validum. Communis. (124. Si enim simpliciter nominavit ecclesiæ v. gr. S. Mariæ, et plures sint ecclesiæ ejusdem nominis, inter quas una sit parochialis, legatum debetur Parochiali. Authent. De Eccles. tit. 5, § Si quis in nomine, et ibi Glossa verb. Domicilium, collat. 9; Barbosa de offic. et potest. episcop., part. III, alleg. 83, n. 41, et lib. III Juris ecclesiastic. univers., cap. 27, n. 90 et seq., et plurimi alii ibi citati, et alii passim.

(125. Si autem testator duas habuerit ecclesias parochiales ejusdem nominis et facultatis, in quibus promiscue et æqualiter recipiebat ecclesiastica sacramenta, et nec ex electione sepulturæ, nec aliunde discerni possit, de qua parochiali intellexerit, variant doctores; multi enim volunt in tali casu legatum esse dividendum inter utramque parochiam, arg. cap. 2, vers. Cum ab eo, De sepult. in 6, ubi habetur quod, si aliquis habuerit duo domicilia, in quibus æqualiter commoretur, et alibi sepulturam elegerit, portionem canonicam esse dividendam inter parochias utriusque domicilii. Sic Covarruv. in c. Judicante, De Testament. n. 2; Silvest. verb. Legatum 2 n. 8; Molina De justit., tr. 2, disp. 196, n. 3; Garcias in summ. tract. 3, different. 11, dub. 3, n. 3; Leon de offic. capellan., quæst. 5, sect. 2, n. 36; Amostaz. lib. I De causis piis in genere, cap. 11, n. 19, ubi citat alios, et dicit aptissimum esse textum in l. Si quis Titio 17, § final., ff. de Legat. 2, ubi si decem uni ex libertis legentur, nec constat cui certo legata fuerint, inter omnes distribuuntur. Quod idem dicitur, quando posthumo legaretur, et plures nascentur, ut subdit ipse loc. cit. Gomez tit. 1, var. cap. 19, n. 19, et Cancerius 3, p. cap. 20, n. 285. Et similiter observatur, si centum pro premio assignentur primo ingredienti arcem

obsessam, nam si plures simul ingrediantur, centum inter eos distribuuntur. Alciat. lib. IX Parerg., cap. 10; Amostaz. loc. cit., et alii. (126. Multi alii autem tenent in tali casu electionem competere executoribus testamenti, seu arbitrio episcopi, argum. cap. Quoniam 13, vers. Alioquin, De decimis, ubi habetur quod, si res fuerit utrinque dubia, ita ut nulla conjectura comprehendendi valeat, ad quam parochiam novalia pertineant, tunc in arbitrio episcopi erit, decimas, cui ecclesiæ maluerit, deputare; et sic a pari in proposito locus erit gratificationi arg. cap. 1, vers. Quod si forte, De paroch. Sic Gemma dec. 185; Lara De annivers., lib. VI, cap. 10, n. 97, et plurimis citatis Barbosa lib. III Juris ecclesiastic. univers., cit. cap. 27, n. 93, ubi ex ipsis dicit hanc esse communem et veriore. (127. Quæ sententia est præsertim tenenda, quando legatum est individuum, nec admittit separationem, ut si testator jusserit construi cappellam in ecclesia parochiali. Tunc enim ex quo testator legaverit rem individuum, nec possit impleri ejus voluntas, quin uni parochiali concedatur, in dubio erit electio executorum, seu episcopi: Rubeus Pract. c. 79, n. 428; Amostaz., loc. cit., n. 20; Sanchez in consil. moral., p. 2, lib. II, cap. II, dub. 8, n. 6; Vasquez in opusc. de Testam., c. 8, § 1, dub. 1, n. 98, et alii.

(128. Si vero multæ sint ecclesiæ sub eodem expresso nomine Sanctæ Mariæ, et nullo modo appareat quam testator elegerit, tunc legatum dandum est ecclesiæ pauperiori sub dicto nomine, textu expresso in Authent. De eccles. Titul., c. Si quis autem ibi: « Si quis autem unum sanctor. hæredem scripserit, aut legatum ei reliquerit, et non specialiter nominaverit locum, in quo est venerabilis domus; inveniantur autem in eodem loco, aut Civitate plura oratoria ejusdem sancti, illi magis domui, quæ pauperior est, præbetur; » et sic tenent Tiracuell. priv. 56, ad medium; Gomez Variar., tom. II, cap. 11, n. 8; Molina loc. cit., disput. 177; Layman lib. III, tract. 3, cap. 11, n. 8, v. Deinde statuitur, et pluribus citatis Barbosa lib. III Juris eccles., c. 27, n. 92. Tunc enim censetur testator voluisse legare illi ecclesiæ, respectu cujus sic legando majus opus charitatis exercet, et plus suæ animæ consulit; arg. cap. Animæ Defunctorum, cap. Prohibentibus, cum multis ibidem 13, qu. 2, cap. Ultim. de Sepulturis, cap. In litteris, De raptorib. Legando autem ecclesiæ pauperiori majus opus charitatis exercet, et plus consulit animæ suæ, ut de se patet, adeoque, etc.

(129. Si ecclesia nominata non reperitur in civitate testatoris, bene vero in ejus diocesi seu territorio, tunc isti debetur legatum. Communis, textu expresso in cit. Authent. De Eccles. tit. cap. Si quis autem, ibi: « Si autem non est in civitate Basilica nominati sancti, inveniantur autem in territorio ejus, illi detur. » (130. Si autem ecclesia nominata non reperitur, nec in civitate, neque in ejus territorio seu diocesi, tunc

legatum debetur ecclesiæ parochiali testatoris. Communis, textu expresso cit. Authent. De Ecclesiast. tit., cap. Si quis 9, ibi: « Si autem neque in territorio ejus reperitur ejusmodi domus, tunc ecclesiæ civitatis (sive parochiæ) in qua testator domicilium habuerit, præbeatur. »

(131. Legatum relictum, v. gr. Titio, si duo sint Titii æquali charitate et amicitia cum testatore conjuncti, nec discerni possit quinam ex ipsis fuerit a testatore electus, quamvis de jure civili corruat, et sit pro invalido habendum, l. Si fuerit, l. Si quis pluribus, ff. De rebus dubiis, l. Si duo sint Titii, ff. De testam., tutela: In foro tamen conscientiæ tenetur hæres seu executor illud inter eos dividere æqualiter, si in id censeant; sic enim exigit æquitas naturalis. Molina tom. I, disp. 197, n. 1 et 2; Diana part. III, tract. 5, res. 58; Trullench., tom. III, lib. VII, cap. 18, d. 1, n. 23; Busemb. lib. III, par. II, cap. 4, dub. 4, et La Croix ibid., sub n. 1129, et alii.

(132. Legatum relictum determinato pauperi, si hic moriatur ante solutionem, hæres tenetur dare illud alteri; quia adhuc durat causa legati, scilicet pietas et suffragium animæ testatoris, cum tale legatum pium præsumatur factum causa pietatis, et sic designatio pauperis facta fuerit demonstrative et non taxative. Aliter tamen esset dicendum, si legatum fuisse relictum in solum commodum, et bonum talis determinatæ personæ, quia tunc causa legati esset effectus, qui cessat, cessante persona, propter cuius specialem affectionem fuit relictum legatum. La Croix cum Busemb. lib. III, par. II, cap. 4, dub. 4, sub n. 1129; Felix Potest. tom. I, part. II, n. 2567, et alii passim.

(133. Repudiatio legati ecclesiæ facti est illicita et peccaminosa, si fiat absque justa causa, et sine debitis solemnitatibus, seu sine beneplacito Apostolico, et in tali casu tenetur prælatus ad satisfaciendum ecclesiæ, si habeat proprium, unde satisfaciat. Communis, teste Reiffenstuel, l. III Decretal., tit. 10, n. 53. Et ratio est quia prælatus vi officii sui, adeoque ex obligatione virtutis justitiæ, tenetur procurare commodum et utilitatem Ecclesiæ sibi commissæ, eidemque acquirere in quantum potest; cap. Quicumque 2, caus. 12, quæst. 4, juncta Glossa vers. Aut neglectum. Prælatus autem repudiando legatum factum ecclesiæ non procurat ipsius ecclesiæ utilitatem, nam non acquirere est insidiari; l. 1. § Confertur, ff. De collat. bonor., ubi præcise habetur: « Cæterum si id egerit, ne acquireret, hic et sibi insidiat est. » Unde consequens est quod prælatus ille, qui sine justa causa, et debitis solemnitatibus repudiavit legatum ecclesiæ relictum, non solum illicite egerit, atque peccaverit, sed etiam compelli possit ut de suo, si proprium habeat, satisfaciat ecclesiæ, cum ipsam injuste damnificaverit. Glossa in cap. Illud statuendum 8, § Si ergo caus. 16, quæst. 6, verb. Meliorem; Abbas in cap. Tua nos nuper, n. 9, De his quæ



fiunt a praelatis, istud probans exemplo tutoris qui, si potuit acquirere pupillo et non acquisivit, tenetur de suo refundere; leg. Quidquid, Cod. Arbitrum tutelae. Et sic doctores passim. Vid. verb. *Alienatio*, art. 4, n. 6, ad 10. (134. Imo quando praelatus absque justa causa repudiavit legatum ecclesiae relictum, potest ecclesia exinde graviter laesa petere beneficium restitutionis in integrum. Communis, arg. cap. *Requisivit* 1, etc. *Cum venissent* 2, De in integrum restitutione.

(135. Legata ad causas pias valent etiamsi testamentum ad causam profanam factum ob defectum solemnitate civilis corruat; dummodo tamen constet de voluntate testatoris, v. gr. si scripserit, si haeres agnoscat ejus manum, aut ab eo immediate audierit, et hujusmodi. Communis. In relictis enim ad causam piam jus civile non attenditur. arg. cap. *Relatum* 11, De testamentis; adeoque etsi defectu solemnitate civilis testamentum non valeat quoad profana, valet tamen quoad legata pia in eo contenta. (136. Imo valent etiam legata profana contenta in testamento absque solemnitate civili condito; argum. cap. *Accessorium* 42, De reg. juris, in 6, ubi expresse dicitur, quod « Accessorium naturam sequi congruit principalis: » adeoque si testamentum tanquam principale valet, ex cap. *Relatum* 11, De testam. etiam legata quamvis profana utpote quid accessorium valebunt. Hinc Authent. *Quod sine*, Cod. de Testam. in testamento patris inter liberos sine solemnitate ordinaria facto, valent etiam legata relicta extraneis, sic Covarruv. De testam., cap. 11, n. 2; Pirhing l. III; Decretal., tit. 29, n. 22; Reiffenstuel ibid., n. 161; Engel ib., n. 19; Tiraquel. privileg. 80; Molina disput. 134; Layman, l. III, tract. 3, cap. 2, n. 10. Julius Clarus § Testamentum, quaest. 6, n. 9, citans communem.

(137. Falcidia, et Trebellianica non detrahuntur a legatis ad pias causas. Authent. *Similiter* Cod. ad leg. Falcid.; Barbosa l. III Juris ecclesiast., c. 27, n. 84, cum communi aliorum.

(138. Pars autem Falcidiae, quae non potest detrahi a legatis piis non est oneranda legatis profanis, ita ut haeres integram Falcidiam percipiat, sed solum a legatis profanis est detrahenda pars illa Falcidiae, quae ipsis pro rata competit, cum ad eam tantum sint obligata; Falcidia enim pro rata quolibet legato detrahitur; l. *Haereditatem* 68, § final. l. In quantitate 73, § final. ff. ad l. Falcid. Unde in tali casu integra Falcidia non deducitur, sed tantum rata de aliis legatis profanis. Mantica lib. IX, Conject., tom. III, n. 24, et 25; Amostaz. lib. I De causis piis cap. 11, n. 34. (139. Falcidia non detrahitur ex legatis relictis Ecclesiae. Communis cum Card. Petra tom. II, comment. ad Constit. X Innocent. III, n. 75. (140. Neque detrahi potest Falcidia ex iis, quae relinquuntur confraternitatibus, sive cum episcopi auctoritate, sive absque ea institutis. Bassi tract. de sodalitatibus, seu confraternita-

tibus, quaest. 16, n. 1, cum multis citatis; Barbosa l. II Juris ecclesiastic. univers., cap. 22, n. 92, ubi testatur de communi. (141. Falcidia nullimode detrahitur a legatis cum onere missarum, vel pro exoneratione conscientiae relictis, quia certo supponitur testatorem praevoluisse, et praelexisse tale onus in suffragium suae animae. Card. Petra loc. cit., n. 84 et 85. Vide verb. *Falcid.*, n. 24. (142. An autem Falcidia sit detrahenda ex legatis piis, quando pia causa seu Ecclesia est instituta haeres? Vid. d. verb. *Falcidia* a n. 20 ad 23.

(143. Papa potest valide et licite ex rationabili et justa causa commutare legata pia. Communissima apud omnes; arg. Clement. *Quia contingit* 2, de religiosis domib., ibi: « Salva quidem sedis Apostolicae auctoritate, » et constat ex Tridentino De reformat., sess. 22, cap. 6, et sess. 25, cap. 4. (144. An autem Papa etiam sine rationabili et justa causa possit commutare legata pia, variant doctores: Multi enim tenent et defendunt partem affirmativam, quia dicunt testatores quoties aliquod pium legatum relinquunt, id faciunt sub tacita conditione, si Papa aliter non disposuerit; arg. cit. Clement. *Quia contingit*; ibi: « Salva quidem sedis Apostolicae auctoritate; » adeoque Papa, etiam absque causa pro sua voluntate et libertate poterit commutare ultimas pias voluntates, seu legata pia. Tum quia hac tacita conditione existente, quando sit legati commutatio, non agit Papa contra voluntatem testatoris, sed secundum ipsam, adeoque non erit necessaria ulla causa ad talem commutationem. Covarruv. l. III Variar., cap. 6, n. 7; Marta De jurisd., part. IV, caus. 74, n. 5; Sarmiento select. l. I, cap. 8, n. 21; Felix Potest. tom. I, p. 2, n. 2530; Silvester, Armilla et alii apud Sanchez Consil. l. IV, cap. 1, dub. 1, n. 1.

(145. Plurimi autem alii sustinent negativam partem, quia dicunt ipsi: De Jure naturae est observare et ad unguem adimplere ultimas voluntates, et quamvis Papa sit administrator causarum piarum, nequit tamen absque causa eas commutare, cum alias rectus administrator non esset; Sanch. loco cit. dub. 1, n. 4; Wadingus De contractib. disp. 4, dub. 13, § 6, n. 3; Diana part. VIII, tract. 1, resolut. 64, in princip.; Crippio De execut. testament. l. III, cap. 2, n. 5; Molina de justitia tract. 2, disp. 249, n. 4; Lugo eod. tract., disp. 23, n. 512; Moneta De commut. ultim. volunt., cap. 6, n. 29; Jul. Cappon. tom. II, disceptat. 102, n. 17; Barbosa De offic. et potest. Episcop., part. III, allegat. 83, n. 1, cum plurimis ibi citatis: ubi dicit quod in concilio Tridentino sess. De reformat., cap. 22, statuitur hujusmodi commutationes neque ab Apostolica sede fieri debere, nisi ex justa et necessaria causa, et ex Molina, loc. cit., n. 9, subdit, ab ipso Concilio Tridentino, loc. cit. « sancitum esse, ut quando commutationes aliquae a sede Apostolica fuerint obtentae, episcopi tanquam legati sedis Apostolicae summarie et extrajudicialiter cogno-

scant, nihil precibus tacita veritate vel suggesta falsitate fuisse narratum, priusquam commutationes praedictae executioni demandentur; » sunt verba concilii. (146. Et revera si ex tali commutatione laedatur jus tertii, nequit Pontifex sine causa id facere; leg. Si quando 35. Cod. de inoffic. testament., nec id solet a principe fieri; leg. Rescripta 7, Cod. de precib. imperat. offic., l. final., cod. Si contra jus, vel utilit. public. Alterum enim non laedere est praecipuum juris naturae; § Juris praepcepta, Instit. de justit. l. Justitia 10, ff. eod. tit. 1, lib. II, tit. 1, part. III, adeoque quoties fuerit damnum tertii, erit pro tali commutatione semper necessaria rationabilis causa, ne jus naturale a Papa laedi et impugnari videatur, quin potius commutatio illa per mutationem materiae reducatur ad jus naturale. Moneta De commutat. ultim. volunt., cap. 11, n. 29, et quaest. 7, n. 7; Peregrin. De fideicom., art. 12, n. 125; Haibanus De interesse lib. I quaest. 2, n. 12 et 42; Amostaz. lib. I, De causis piis, cap. 14, n. 8; Spino De testament. par. I, rub. n. 20, ubi dicit quod causa non quaelibet sed publica requiritur; alias commutatio minime sustinebitur.

(147. Quando legatum non potest de jure aut de facto impleri in propria specie, seu usu designato a testatore, potest episcopus de consensu haeredis aut executoris deputati commutare illud in alium pium usum. Communis; arg. cap. *Nos quidem* 3, De testam. et l. *Legatum*, 16, ff. de usu et usufruct. (148. Imo episcopus de consensu haeredis aut executoris, ex justa causa aut ex necessitate potest commutare legatum, etiam quando potest de jure et de facto impleri. Barbosa De offic. et potest. episcop. part. III, allegat. 83, n. 5, et lib. III Juris univers., cap. 27, n. 5, Vasquez in opuscul. de testam. cap. 8, § 5, dub. 3; Diana part. VIII, tract. 4, resolut. 6; Moneta loco cit., cap. 5, n. 322; Sanch. loco cit. dub. 2, n. 3; Tondutus tom. I, cap. 112, n. 6; Felix Potest. tom. I, part. I, n. 2384; Amostaz. loco cit., n. 16 et 19; Rota lib. II, divers. decis. 1123, part. III, et alii plures.

(149. Non potest tamen episcopus tale legatum commutare nequidem in melius, etiam de consensu haeredis aut executoris sine justa et necessaria causa: argum. concil. Trident. citat. sess. 22, de reformat., cap. 6, ibi: « In commutationibus ultimarum voluntatum, quae non nisi ex justa et necessaria causa fieri debent, » et Clementin. *Quia contingit* 2, de religiosis domib., ubi expresse statuitur « quod ea, quae ad certum usum largitione sunt destinata fidelium, ad illum debent, non ad alium (salva quidem Sedis apostolicae auctoritate) converti, » et concordat cap. *Ultima voluntas* 4, caus. 13, quaest. 2, et c. *Nos quidem* 3, De testamentis cum similibus. Sic Barbosa cit. alleg. 83, n. 2, cum pluribus aliis ibi citatis; Amostaz. loco cit., n. 19; La Croix lib. IV, n. 845, contra varios apud Barbosa loc. cit., n. 2, volentes posse episcopum legatum commutare

in aequale, aut in melius, etiam sine justa et necessaria causa.

(150. Patriarchae, primates et archiepiscopi, ex justa et necessaria causa, possunt similiter commutare legata suorum subditorum, non tamen si fuerint suffraganeorum, cum in subditis suffraganeorum non habeant jurisdictionem, cap. 1, De officio legati, cap. *Duo simul* 9, De offic. ordinarii; nisi causa per appellationem ad eos perveniat. Moneta De commutat. ultim. volunt., cap. 5, n. 286; Amostaz. loc. cit., n. 20. (151. Cardinales in eorum Titulis possunt commutare legata et ultimas voluntates in illis casibus, quibus possunt episcopi respectu suorum subditorum, quia de jure habent in suis titulis jurisdictionem episcopalem: Moneta loc. cit. cap. 5, quaest. 13, conclus. 1, n. 452; Diana part. V, tract. 2, De potest. et privileg. S. R. E. Cardin. resolut. 57; Barbosa citat. allegat. 83, n. 5, in fine et alii passim.

(152. Vicarius capitularis, sede vacante, potest commutare legata in iis casibus, in quibus potest episcopus, quia jurisdictione ordinaria competens episcopo, sede vacante, transfertur in capitulum seu vicarium capitularem ipsum capitulum representantem; c. *Cum olim* 14, de major. et obedient., cap. 1, in eod. tit. in 6. Sic Moneta loc. cit., c. 4, n. 427; Barbosa cit. alleg. 83, n. 16, vers. *Capitulum*; Diana p. IX, tract. 4, resolut. 34; Amostaz. loc. cit., n. 25, et alii passim.

(153. Vicarius generalis episcopi, quando ipse episcopus commode haberi valet, non potest commutare legata et ultimas voluntates, quia similes commutationes sunt de gravioribus, et quae habent gravissimam difficultatem; adeoque nec censentur concessae, nisi specialiter demandentur. Tum etiam quia commutatio involvit juris dispensationem, et legis derogationem, quae non committitur, nisi specialiter et expresse. Sic Abbas in cap. *Cum dilecti*, de election. num. 10; Cappon. tom. II, disceptat. 103, n. 11, adeoque vicarius nequit facere similes commutationes, nisi id ei specialiter et expresse committatur. Barbosa citat. alleg. 83, n. 60, in fine; Cappon. loc. cit. n. 11; Moneta loc. cit., cap. 5, n. 484; Amostaz. loc. citato, n. 21, et alii. (154. Dicitur autem notanter, « quando ipse episcopus commode haberi valet; » nam, si extra dioecesim, et in remotis esset, ubi commode adiri non posset, tunc vicarius generalis ex justa et necessaria causa posset commutare legata, et pias ultimas voluntates, cum in tali casu possit etiam difficiliora expedire, ut concedere Dimissorias ad ordines; cap. *Cum nullus*, de tempore ordin. in 6. Et vicarius archiepiscopi in tali casu suffraganeos censuris compescit; cap. 1, De offic. ordinari. in 6. Sic Moneta loc. cit., c. 5, n. 484; Amostaz. loc. cit., n. 22, et alii.

(155. Visitatores etiam absque speciali mandato nequeunt mutare legata et ultimas pias voluntates propter rationem adductam de vicario generali. Moneta loc. cit., c. 5, n. 486; Amostaz. loc. cit., n. 31, et alii.

(156. Abbates, aliique similes praelat-